

DISSERTATIO
HISTORIAM
BIBLIOTHECÆ
REGIÆ ACADEMIÆ ABOËNSIS
EXPONENS;

CUJUS PARTICULAM SECUNDAM,
Conf. Ampl. Facult. Phil. in Illustri ad Auram Lyceo,
Publico examini subjiciunt

AUCTOR
HENRICUS GABRIEL
PORTHAN,

Eloquent Docens atque Amanuensis Bibliothecæ,
ET RESPONDENS

ANDREAS ASP,

Nylandus.

In AUDITORIO MAJORI Die XXIV ^{Marci} Februarii An.

MDCCLXXII.

H. P. M. C.

A B O Æ

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.

7.

A MONSIEUR.

M: SIEUR ANDRÉ ERIQUES
DE KÖHLER,

Capitaine au Regiment d'Infanterie de Nylande, Che-
valier de l'Ordre de l'Epée.

MONSIEUR,

*L'ingratitude sied d'autant plus mal à des hommes rai-
sonnables, que même les bêtes sauvages semblent quel-
que fois marquer la plus tendre reconnoissance du moindre
bienfait. Ceux qui ne sont pas capables de payer un bien-
fait par un autre, sauront pourtant en quelque façon é-
chapper la marque d'ingratitude, si, dans un cœur reconnois-
sant ils prennent soin de conserver le souvenir des bienfaits
reçus. Pendant les trois ans, que j'eus l'honneur de cul-
tiver les bonnes inclinations de Monsieur Votre Fils,
& de l'instruire dans les Sciences, Vous m'avez comblé
de bienfaits, qui ont surpassé infiniment mes prétentions &
même mes desirs. C'est pourquoi MONSIEUR je Vous
supplie très-humblement, d'agréer que profitant de cette oc-
casion pour VOUS témoigner ma vive reconnoissance, je pren-
ne la hardiesse de placer VOTRE ILLUSTRE NOM de-
vant ces feuilles, & de vouloir bien souffrir que ces lignes
soient une marque quoique faible du profond respect avec
lequel j'ai l'honneur d'être*

MONSIEUR,

VOTRE

très humble & très obéissant
serviteur

ANDRÉ ASP.

Enke Pastorikan,

Dygdadla Fru

HELENA ASP, Född WESTMAN,

Min Guldesta Moder.

Mit Hjerta är uppfylt med de gladaste rörelser, då jag nu ser mig hafwa tillfälle, at offentligen förklara den osäkränkra och barnliga wördnad, som Eder orödlige omhet och omsorg för min wälfärd, hos mig upständt. Men hwar skal jag finna ord at tillbödeligen uttrycka den samma? Edra wälgärningar emot mig hafwa flutit af er Moders hjerta; de kunna icke upständas större. I hafwen fortsatt dem ifrån mit liffs början, intill närwarande stund. Efter min Salige Faders tidiga dödd, hafwen I ensam, med fördubblad sorgfällighet wårdat mit bästa. Jag kan deremot icke erbjuda Eder annat, än er erkensfullt minnes lifligaste tack-samhet. Denna känsla skal följa mig till grafwon, och onehdeligen hos mig wara wärlsam. Den Högste be rone Min Guldesta Moders älderdom med all den sinnes minsterhet och styrka som ungdoms ären ärdliga, och låte den dagen sent wärinna, då Mina Kära Syston och jag nidste sakna en så Guld och älskad Moder! Under en sådan hjertelig önskan framhärder jag, med all sonlig wördnad intill mit yttersta,

Min Guldesta Moders

Höfnad = lydigste son
ANDREAS ASP.

THESES RESPONDENTIS.

THESES. I.

Causas finales in natura nullas qui cernit, corporis imprimis humani fabricam intuens, cecus sit oportet. Argumentum itaque pro existentia Dei a finibus in rerum universo conspicuis deductum, si rite explicatum fuerit, firmissimum esse contendimus.

Thef. II. Inter otiosas Metaphysicorum tricas merito referas, quæ de entis cujuslibet unitate, veritate, essentiali perfectione et bonitate, multis solent disputare.

Thef. III. Ex diversis de propagatione animæ sententiis, illa qua per traducem propagari statuitur, verisimilima nobis videtur.

Thef. IV. Opinioni illorum, qui verum Dei cultum abque externa Summi Numinis veneratione consistere posse putant, nemo sanus adstipuletur.

Thef. V. Fundamentum introducti dominii privati, in jure naturali quod quisque in *laborem* habet, *suum*, eaque vitæ subsidia, quæ *suo* sibi *labore* paravit, cum Cel. Lockio merito quarimus, nec consensum quendam reliquorum hominum hic comminisci, opus esse credimus.

Thef. VI. De dominio maris controversia, in nudam abit logomachiam.

Thef. VII. Vel maximæ divitiæ, si industria civium deficit, Republicam non reddunt beatam.

Thef. Diligens et prudenter institutum Historiæ studium, non sine summo juventutis damno negligi potest.

Thef. IX. Fennorum gentem non esse novam quandam Coloniam, sed unam ex antiquissimis gentibus, quæ septentrionalem Europæ Asiæque plagam incoluerint, contendere non dubitamus.

Thef. X. Qui Eloquentiam Oratori Sacro minus esse necessariam dicunt, quid Eloquentia sit, nescire se probant.

Thef. XI. Quamvis non quodvis Carmen Poëmatibus nomine sit dignum, poëma tamen prose conscriptum, ~~manum~~ esse putamus.

Öfverby & Alten (a); qui, cum felicibus armis causam Patriæ assereret, belli jure copiam librorum haud sperendam nactus, conditæ nuper in natali solo Academiae memor, Musas nostras gratissimo hoc munere ornare, benefice decrevit. Defuncto autem Haderslebici, anno 1644, die 21 Aprilis, hoc Heroe, antequam propositum suum ipse exsequi posset, voluntatem tamen ejus ratam esse voluit, mentemque liberalissime perfecit relicta Conjux Vidua, Generosissima D:na CHRISTINA HORN, *Hereditaria in Haapaniemi, Domina in Hummelfund & Runogård &c.* quæ eruditum hunc thesaurum, in patriam redux, secum apportans, & anno 1646 in Aprilis, Academiae nostræ exhibens (b), non levem hujus beneficii partem suæ munificentiae vindicavit. Gratam itaque & piam utriusque Generosissimi Conjugis memoriam, Lyceum Aboënse perpetuo colet, nec tanti favoris unquam laudem intermorî patietur. Continebat autem STALHANDSKIANA hæc Bibliotheca, singulas fere scientias disciplinasque ample-

C

xa

(a) Inclyti hujus Herois memoriam, pluribus hoc loco persequi, eo minus est nobis necessarium, quod eam peculiari Dissertatione, se auspice, explicatum iri, nobis significavit Cel. Dn. Prof. BILMARK; hauriendam tantisper, ut alios scriptores eorum temporum præteream, (inprimisque vitæ enarrationem, *Personalia*, concioni super ejus mortem funebri adjectam), ex *Oratione* Nob. GYLLENSTÄLPE *de Bibliothecis in genere, & in specie de Bibliotheca R. Academiae Aboënsis*, de qua mox plura.

(b) Vid. *Elenchus libr. Acad. Aboënsis*, 1654 impressus, de quo mox; Nob. GYLLENSTÄLPE *Oratio* modo adducta; & *Ejusd. Natales Acad. Aboënsis*, 1648 in 4:o editi (confr. not. seq. (c)).

xa, 890 circiter volumina (c), (ut ex *Elencho librorum Academiae Aboënsis*, an. 1655 edito, cujus jam supra mentionem fecimus, patet), quorum 4 tantum in duplo, unum in quadruplo erat, librisquæ magnam partem constabat, aut internæ præstantiæ aut raritatis pretio, haud contemnendis, ut & ex modo laudato quisque cernere potest Catalogo, & infra exemplis nonnullis demonstrabitur. Ait hos libros *ex Germanica præda fuisse collectos* (d) *Cel. ACHRE-*

(c) Bibliothecam hanc, a Generof. STÅLHAND-SKIO Coniugeque sua Academiae nostræ traditam, *librorum fuisse 942 numero*, (ex quibus 400 in folio scitissime compacti), *optimorum auctorum*, dicit WEXONIUS; vid. ejus *Natales Acad. Aboënsis*, impressi Aboæ 1648 4:o a Petro Wald, illisque adjecta *Perbrevis Relatio Historica de incrementis Acad. Aboënsis*, quæ (una cum ejusd. auctoris *Panegyrico Reginae CHRISTINÆ ob fundatam dotatamque Aboënsis Academiam* 3 Calend. Febr. a. 1646 dicto) in altera editione *Natalium Acad.* excusa 1680 a Job. Waldio 8:o, nescio quo consilio omissa est. Sed recte observavit Cel. Dn. BILMARK *Hist. Acad. Aboënsis P. III. §. VII*, errorem in hoc calculo esse; quamvis enim numerus librorum, si diversa variorum auctorum scripta intelligantur, non multum a vero abludat, quæ 960 circiter sunt; quod plura sæpe uno volumine compacta reperiantur; in folio tamen reperiunda, sive volumina, quæ 242 sunt, sive diversa scripta, quæ 180 circiter illis continentur, numerare velimus, multum absunt a numero 400, qui aut memoriæ aut scriptionis operarumve vitio sine dubio huc irrepfit. Vid. *Elenchus* s. *Catalogus* sæpius adductus, qui 893 recenset muneris *Stålhandskiani* volumina, quorum autem duo, levi errore bis indicantur.

(d) Confer BILMARK l. c.

ACHRELIUS in *Elegio Illust. Dn. CHRISTINÆ HORN dicato*, (de quo mox loquemur); sed ipsorum librorum inspectio, quorum magna pars nomen MARTINI MATTHIÆ, Dani, (s. ut interdum habet, *Hafniani*, vel *Hafnia-Dani*), Episcopi Arhusiensis (e), sua manu inscriptum, ostentat, Danica potius esse spolia docet, bello quod ultimo vitæ suæ tempore STÅLHANDSKIUS in Slesvicia Jutiæque gessit, ut videtur, comparata, cum eas regiones, TORSTENSONIO duce, Svecica arma infestarent. Magnas in hoc bello STÅLHANDSKIUM nostrum legisse partes, tota peninsula Jutiæ initio anni 1644 occupata, notissimum est. Verosimilitudine itaque non caret, eum Arhusiæ, Episcopi Bibliotheca ablata, maximam saltem partem horum librorum, novæ in Patria Academiae usibus consecrandam, cepisse; quamquam nec negamus,

C 2

& plu-

(e) Ut didicimus ex verbis sequentibus, MEURSII *Soloni* (Hafniæ 1632 in 4:o edito), ipsius Cel. Auctoris manu, in fronte libri, adscriptis: *Viro Reverendo Martino Matthiæ, Theologo, & Episcopo Arhusiensi, adfectus testimonium mittebam, Joannes Meursius*. Quamquam hic quidem liber inter Stålhandskianos in *Elencho* sapius laudato non adfertur, in Catalogo demum altero, a. 1682 impresso, comparens; sive omissus ex illo fuit, sive postea accessit. Alii etiam libro, a STÅLHANDSKIO dato, ejusdem MEURSII nomen inscriptum legitur. MARTINUS vero MATTHIÆ, qui & MARTINUM MATTHIÆ MENELAUM aliquoties se vocat, & MARTINUM MATTHÆUM alicubi, suis libris annum etiam atque locum emtionis sæpe adposuit, literariæ suæ peregrinationis testimonium perhibentes; unde colligi potest, eum Hafniæ ad annum 1616 degisse; 1617 vero & 1618 Wittebergæ commoratum; atque posteriori hoc anno etiam Jenam, & Francofurtum ad Mœnum invisisse; 1619

& plures in his oris Bibliothecas idem fatum potuisse subire (f), & bellatorem nostrum jam in Germania initium aliquod hujus collectionis forte fecisse. Mediocris tamen voluminum numerus, & pauci libri dupli, unius potius viri docti, cujus etiam indicant nomen, penum, quam multorum spolia, prodere videtur. Nullum *Manuscriptum codicem* tota hæc Stålhandskiana Bibliotheca continebat; & Theologicæ eruditioni, ut muneris studiorumque ferrebat pristini possessoris ratio, maxime fuit accommodata. Integram fere adhuc, paucis tantum injuria temporum amissis

rursus Wittebergæ fuisse; 1620 Parisiis, Lovanii, Antverpiæ, Amstelodami & Lugduni; sequenti vero anno 1621, Lugduni, Ultrajecti & Harlemi versatum. Turbat tamen, quod a. etiam 1618, æque ac 1622, 1623 & 1624, Hafnia fuisse videtur; cum simul *Ubbonis Emmii Chronologia & Genealogia, Groning.* 1619 fol. adscriptum legitur: *Martini Matthiæ & Amicorum, Lugduni Batav.* 1624. An adeo sæpe iit & rediit? Non reperio his libris annum ab eo adscriptum, 1630 recentiorem. Danicam esse prædam, indicant quoque complures libri in Dania editi, (Breviarium Ecclesiæ Arhusiensis, Brocmanni lib. *de Hæresibus*, 2 exemplaria, & *contra administrator. Magdeburg.* 4 exempl. &c.), quidam etiam Danica scripti lingua, licet pauciores, fateor, quam expectare fas erat; quod tamen ex pluribus rationibus accidere potuit.

(f) *Viti Theodori Annot. in N. Test. Francof.* 1545, 4:0, adscriptum legitur: *Liber emptus duobus marcis Danicis, a Johanne Thomæ Ludimagistro Rip. in usum Scholæ Ripensis perpetuum*, fallaci vaticinio, s. a nostris inde ereptus fuit, s. antea jam in privatam Bibliothecam transiit. Adjiciam etiam hoc loco, *Apuleji Asino Aureo*, Parisii. 1512 fol. esse in fronte libri inscriptum nomen *Gustavi Trolle*; recentiori vero manu, sed ita tamen, ut

amisissis voluminibus, supellex Academiae nostrae literaria servat; illustre monumentum datoris in musas nostras beneficentiae.

Aucti hoc thesauro Patres Academici, de loco porro idoneo eidem prospiciendo, solliciti fuerunt. Adhibitum huic usui *Templum* sic dictum *Germanicum* (Zust. Koresan,) ex Actis Academiae reperimus, in quod ut libri quam primum transportarentur & apto collocarentur ordine, fuit decretum (g). Eandem hanc fuisse aedem, quae hodie *ludo palaestrico* est destinatus (Falksaten), in qua ad recentiora usque tempora Bibliotheca Academica collocata mansit, firmis rationibus demonstratur (b); non enim mutatum fuisse Bibliothecae locum, ante proximam ejus ad novas aedes, in quibus hodie asservatur, translationem, ex actis Acad. colligitur, & viciniam turris Templi Cathedralis, ut infra narrabitur, graviter aliquoties sensit. Ob humilem vero situm, minus commodum libris servandis hoc atrium fuisse, quibus non potuit aëris humiditas non nocere, & eo viso facile intelligi potest, & ex actis abunde constat. Cura librorum in novo loco disponendorum, Inspectoribus, hoc anno, Bibliothecae, Dn. M. JOANNI ELAI TERSERO, Theol. Prof. & Dn. M. MICHAELI WEXIONIO, Phil. Pract. Prof. demandata; quibus hunc in finem vacatio a praelectionibus publicis hebdomadalis fuit concessa (i). Adesse etiam iussus Academiae

C 3

cademiae

idem nomen, (quod quia margini nimis propinquum antea fuerat, a Biblioepaga in libro iterum compingendo est laesum & decisum, ut legi amplius nequeat) restitutum videatur.

(g) Protoc. Consist. Acad. a. 1647, d. 1. Junii. Cfr. BILMARK l. c.

(b) Confr. BILMARK l. c.

(i) Protoc. Consist. Acad. a. 1648, d. 15 Martii; cfr. Protoc. d. 1. Junii a. 1647.

cademia *Notarius f. Secretarius*, D. M. MICHAEL JUR-
 VELIUS, in quem Bibliothecarii partes munusque con-
 ferre Senatus Acad. decrevit, salariūque illi ex *pecuniis*
sic dictis diligentiorum, aut aliis Academiae redditibus, de-
 stinavit (i). Licet hoc quidem consilium, ut mox pa-
 tebit, deinde factum sit irritum. Neque Bibliothecæ desig-
 nationem tam cito absolvere, librosque ordinare, Inipe-
 ctōres valebant, quod Catalogum ipsi simul conficere
 necesse haberent, nullo tali, cum ad opus accederent,
 subsidio instructi (k). Et interim novis auctibus Biblio-
 theca crevit. Tacendum autem nobis non est, de pia
 in benefactorem mente declaranda, mox quoque Aca-
 demicos cogitasse. Designatus enim fuit Dn. M. JOHAN-
 NES TERSERUS Junior, Eloqu. Professor, qui *Oratio-*
nem de Bibliotheca quam Gen. STÅLHANDSKE conjuxque
ejus Academiae donaverant, conscriberet (l); licet ille, mor-
 tem sequenti anno obiens, recepto in se officio functus
 esse non videatur. Præstitit autem, quod ille imperfe-
 ctum reliquerat, sexennio post Nob. GYLLENSTÅL-
 PE, habita a. 1654 die 9 Maji, cum ipsi Rectoratus in-
 sequentem quoque annum prorogaretur, *Oratione de Bi-*
bliothecis in genere, & in specie de Bibliotheca Regiæ A-
cademiæ Aboënsis, atque quomodo hæc a p. m. fortissimo
quondam Heroë, Generos. Dn. TORSTENIO STÅLHAND-
SKE &c. ejusque relicta vidua Generos. Dn. CHRISTINA
HORN &c. laudatissime aucta & amplificata fuerat, a no-
 bis jam citata, in qua præcipua hujus herois præclara fa-
 cta percurrit. Excusa est an. 1657 hic Aboæ a Petro
 Hansonio Acad. Typogr. in folio. Pari pietatis officio,
 ex Senatus Acad. decreto, defunctam Gen. STÅLHAND-
 SKII conjugem prosecutus est Cel. Dn. M. DANIEL
 ACHRE-

(k) Protoc. a. 1648, d. 26 April.

(l) Protoc. a. 1648, d. 5 Mart. & 26 April.

ACHRELIUS, Acad. tum Secretarius, Eloqu. postea Professor, cujus exstat *Elogium tumulo Illustriss. Dn. CHRISTINÆ HORNS, Baronissæ in Lämpälä, Domine in Runogård &c. publico nomine dicatum*, typis expressum Aboæ apud *Job. L. Wallium* A. T. in folio, eodem sine dubio anno, quo, (die 29 Junii), proclamatum esse, ex præmissis Programmata Acad. tum Rectoris, Maxime Rever. Dn. M. *JACOBI FLACHSENI*, Theol. Professoris, discimus, nempe 1672 (*m*).

§. V.

Multum vero adhuc absuit, ut librorum apparatus, qui publica dignus esset bonarum artium officina, justisque musarum nostrarum desideriis satisfaceret, Academia esset instructa. Itaque apud Reginam faventissimam, novi hujus Lycei fundatricem, & Illustrissimum Cancellarium, submissè agere pergebant Patres Academici, ut Regia gratia supellex sua libraria augetetur. Demandatum fuit hoc negotium inter ceteras de Academia commodis curas, an. 1647, D. M. *SIMONI KEXLERO* Mathem. Profefs. Stockholmiæ proficiscenti (*a*), tam felici successu, ut æstate sequente ad has oras adveniens *Illustr. Comes, Regni Drotzetus & Senator, Academiaeque hujus Cancellarius, Dn. PETRUS BRAHE*, ipse secum 87 volumina, Historici omnia argumenti, donum Reginae Serenissimæ, ex Bibliotheca Regia Stockholmiensi,

(*m*) Cum non dubitemus, quin *Illustr. hujus Academiae nostræ*, non uno nomine, benefactricis memoriam, una cum Conjugis sui egregiis factis, explicaturus sit *Cel. Dn. Prof. BILMARK*, eam hoc loco pluribus non attingimus. Conf. not. sup. (*a*).

(*a*) Prot. Conf. Acad. a. 1647, d. 14 Aug.

ensi, quæ insigni librorum duplorum abundabat numero (*b*), adduceret (*c*). Decreverunt itaque Academici, ut Catalogus librorum Academiae conderetur, ita adornatus, ut primum recenserentur volumina a Regina donata, deinde Stålhandskii munus; cui usui peculiaris liber erat adaptatus (*d*). Missis porro an. 1650 ad Comitiam, Coronationique Regiæ interfuturis D. D. ÆSCH. PETRÆO & D. M. MICH. WEXIONIO, non oblitus est Senatus Acad. inter cætera desideria hoc etiam diligenter commendare, ut de augmento Bibliothecæ impetrando supplicarent (*e*). Dum autem his curis Patres invigilabant, accepit, quæ jam ad aliquam molem creverat librorum collectio, Regio favore peculiarem Præfectum. Eodem enim hoc anno D. M. AXELIUS KEMPE, Ostrobotniensis, *Depositoris* antea ad hanc Academiam munere ornatus, Stockholmiæ præfectus, apud Illustriss. Cancellarium, de commodis Academiae promovendis maxime sollicitum, effecit, ut Diplomate die XVIII Decembris dato, primus *Bibliothecarius* constitueretur; quo etiam stipendium illi simul CL Thalerorum Argent. Regia

(*b*) Conf. Nob. CELSII *Bibliotheca Reg. Stockb. Historia* §. XV. pag. 67.

(*c*) Prot. Conf. Ac. a. 1678 d. 23 Junii; & *Elenchus Libror. Acad. Ab. impr.* 1655.

(*d*) Alius ut videtur, ab eo cujus supra §. III. fin. mentionem fecimus, de quo etiam mox; & forte idem qui in actis recensitionis Bibliothecæ an. 1726 factæ describitur, tum adhuc superstes, in folio ligatura Gallica compactus; hic enim ab initio conditæ Bibliothecæ adornatus ibidem dicitur, primisque tantum 87 foliis catalogum librorum continebat. Conf. Protoc. Consist. Ac. an. 1648 d. 6 Sept.

(*e*) Protoc. Conf. an. 1650 d. 27 Junii.

gia liberalitate assignabatur. Novum hoc munus initio sequentis anni capeſſivit, theſauro ſibi concedendo ab Inſpectoribus ejus rite prius percenſito, certoque librorum confecto indice; & dignitatis locum inter Adjunctos Academiae naſtus eſt (f). Atque latiore ſic Bibliothecae noſtrae adblandiente fortuna, ne domesticarum muſarum careret laboribus, & ſenſim illam aucturis, & gratam poſteris praebituris materiam de ſuperiorum temporum ſtudiis judicandi, laudabiliter fuit fancitum, ut omnium Diſſertationum Academicarum ad hoc Lyceum edendarum exemplar, in Bibliothecam publicam inferretur (g); quamquam eventus huic conſilio non reſpondit, partim quod neglectum poſtea fuit, partim quod multa horum ſcriptorum Bibliotheca amiſerit, quorum itaque, ut & aliorum ad Hiſtoriam Academiae pertinentium monumentorum, Programmatum, Orationum &c. magna jam penuria laborat, difficillime tollenda. De Catalogo etiam Bibliothecae, publica impenſa typis exſcribenda decretum factum fuit (h), aliquot ſerius annis, ut mox videbimus, effectui datum. Et ne ullum conſilium, quod theſauro huic augendo inſervire poſſet, in-

D

ex-

(f) Prot. Conſiſt. Acad. a. 1651 d. 29 Jan. 9 Mart. 25 Jun. 17 Sept. & a. 1652 d. 17 Mart. Poſtulante Senatu Acad. ut Bibliothecarius ſponſores praeraret, antequam libri ſuae fidei committi poſſent, res ad Cancellarium relata fuit, nescio quo eventu; ſequentium autem Bibliothecariorum quidam non alia conditione hujus Theſauri curam naſti ſunt.

(g) Protoc. a. 1651 d. 17 Sept.

(h) Ibid. CL tantum ejus exemplaria imprimenda eſſe, Conſiſtorio Acad. placuit; unde mirum non eſt, rarius eum jam eſſe obvium. Cfr. CELSIUS l. c. p. 68. Tota hujus rei cura Bibliothecario commiſſa fuit.

expertum ommitteretur, novus Bibliothecarius, magno flagrans studio de concredito sibi penu bene merendi, privatorum quoque nonnullorum liberalitatem tentavit (i), Pastorum scilicet Sacellanorumque quorundam, nec non Ecclesiarum, maxime Ostrobotniensium; itineris, ut videtur, ad natalem hanc suam terram, sine anni 1651 & sequentis initio instituti, opportunitate usus: testatur liber ex charta pura in 4:ta compactus forma, adhuc superstes, in quem nomina sua & libros a se datos, aut pecuniam collatam inscripserunt (k), eum hac ratio-

(i) Cfr. Protoc. Consist. Ac. a. 1688 d. 27 Sept.

(k) Eundem esse conjeci de quo supra §. III. p. 14. & favet titulus, qui habet, Latine & Svehice: *Nomina Illustrissimorum Principum & Comitum, Perillustrium & Generosorum Baronum, Reverendissimorum & Nobilissimorum Dominorum, aliorumque præclarorum Virorum, bene de Republica literaria sentientium, qui in DEI ter Opt. Max. laudem, & commodiorem juventutis informationem, ad Bibliothecæ Aboënsis instaurationem aliquid contulerunt.* Nulla tamen nomina, præter Pastorum &c. horum, in medio fere libro occurrentia, inscripta reperiuntur; quod primæ quidem destinationi non convenit; & quod in actis recensitionis Bibliothecæ a. 1726, (Rectore Illustri Celsiss. D. Comite EKEBLAD, Regni deinde Senatore &c.) factæ habetur de libro Chartaceo, 4:tæ formæ, *ligatura Gallica, continente Catalogum librorum, Bibliothecæ, diversis temporibus a superioris inferiorisque conditionis viris, donatorum,* in hunc quadrare non videtur; sed neque fit nisi unius hujuscemodi mentio libri. Nomina quæ in superstiti jam libro exstant, quoniam pauciora sunt, adponemus: Ecclesia Lojoënsis dedit 4 Thaleros Cupreos, & ejus Pastor Sveno Torchilli Joachimicum; Eccles. Kumoënsis 4 voll. Pastor Simon Bartholdi 1 vol.

ratione summam LXXXII Thalerorum cupreorum, numerata pecuniâ, & XXXV volumina librorum collegisse, exigui sane pretii, quorum indicem IV voluminibus, nescio unde datis auctum, exhibet sæpe laudatus Catalogus s. *Elenchus* Bibliothecæ Aboënsis a. 1655 editus. Sed locupletiora subsidia a Regina faventissima munificentia & in hanc a se conditam Academiam benignitate, Bibliothecæ nostræ, Patres Academici sperare pergebant. Itaque rursus D. D. MICHAELI GYLLENSTALPE, a. 1652 Stockholmiam eunti, in mandatis dabant ut supplex hac de re ageret (1); & postquam is Regiam Majestatem votis Academiæ benigne annuere rescripsisset (m), ablegatus est æstate sequenti Bibliothecarius

D 2

carius

Ecclesia Ulfsbyensis 2 voll. Pastor Gregorius Thomæ 7 voll. Eccles. Lappfierdensis 6 Thal. Cupr. Pastor Andreas Kempe (Pater Bibliothecarii) 3 voll. Sacellanus Laurentius Joh. Rivelius 1 vol. Eccles. Nerpensis 12 Thal. Cupr. Pastor Elias Petri Holmius (Socer Bibliothecarii) 4 voll. Eccles. Ilmolensis 6 Thal. Laihialensis 6 Thal. Pastor Haquinus Nicolai Laihialensis 1 vol. Eccles. Malaxensis 1 & dimid. Imperialem, Pastor Olaus Magni Arenius 3 Thal. Eccles. Storkyroënsis 8 Thal. Vöroënsis Pastor Gabriel Matthæi Gammal 1 vol. Eccles. NyCarlebyensis 8 Thal. Pastor Jacobus Jacobi Carlman cum filio Canuto 5 voll. & Sacell. Gregorius Raumannus 1 vol. Eccles. Pedersörensens 8 Thal. Eccles. Cronobyensis 6 Thal. & Pastor Jac. Brenner 2 voll. quibus addendi Paulus Bhoom qui 2, & Joh. M. Bruunlöff qui 1 vol. dederunt. Metienda hæc sunt ex temporum & benevola voluntatis ratione.

(1) Protoc. C. a. 1652, d. 29 Maji.

(m) Protoc. a. 1652 d. 2 Aug.

carius Stockholmiæ, publicis impensis (n), literis munitus commendatitiis & ad Illustr. Cancellarium, & ad Cel. NAU-
 DÆUM Bibliothecarium Regium, ut auxiliatrices ei hoc in negotio manus præberent(o). Cujus itineris is successus fuit, ut rediens 315 volumina (diversa scripta sive tractatus 295 continentia), secum adferret, inter quæ multa erant egregii pretii; ut Catalogus sæpius citatus ostendit. Ex libris duplis Bibliothecæ Regiæ, hæc iterum nobis accessio contigit; unde etiam instrumenta Mathematica sequentia Academiæ nostræ tradita idem docet Catalogus, nempe: Globum terrestrem & caelestem in majori quantitate (p), (quorum nihil jam superest, nisi Horizontes lignei pedesque illos sustinentes, & meridiani orichalchini), Sphæra Ptolemaica, Sphæra Copernicæa, & altera itidem Copernicæa qua triplex terræ motus demonstratur; quæ pariter temporis violentiam effugere non potuerunt. Rariore libros, hujus ut & *Stålbandskiani* muneris, infra, cum Bibliothecæ nostræ universæ faciem describemus, indicabimus. Hoc loco notasse sufficiat, ex Regia Bibliotheca tum etiam Academiæ nostræ concessum fuisse, quod adhuc servat, exemplar GROTYANI de *Jure Belli & Pacis* operis, (Paris. a. 1625 impressi,

(n) Literis Illustr. Cancellarii Comitis P. BRAHE a. 1653 d. 3 Aug. datis, Senatus Acad. jubetur ex pecuniis fisco & Bibliothecæ concessis sumtus refarcire quos & hac ætate & superiori vice Bibliothecarius fecerat Stockholmiæ, Bibliothecæ commodis invigilans, librosque inde transferendis necessarios.

(o) Protoc. a. 1653 d. 3. Julii

(p) Diametri ultra 1 cubiti. Hi ante superiorem fugam, ob ingruentem vim Russorum susceptam, jam damnatum ingens passi, ut ex actis liquet, hujus calamitatis incommodis resistere non potuerunt.

pressi, 4:0) quo ipse vir summus fuerat usus, & quod adscriptis in marginibus auxerat adnotationibus (q). Multi horum librorum, qui aut insignibus titulisque Principis *Petri Vok Ursini, Domini de Rosenberg ornantur*, aut quos *Cardinalis & Principis a Dieterichstain (r)*, nec non *Collegii Soc. Jesu Olomucensis, s. Conventus Regii Olomutii ad Hesb.* fuisse, adposita epigraphe docet, belli Germanici se esse spolia, satis ostendunt (s); uti etiam

D 3

nomi-

(q) (Cfr. STJERNMAN *Ab. Lit.* p. 10). Fronti adscriptum legitur: AUCTORIS; & paullo superius: *In hoc exemplar ad marginem annotavi loca ex Historiis recentioribus, unde exempla eorum que dicuntur depromi possunt.* Sed sunt tamen & multæ alius generis annotationes.

(r) Inter hos est JO. HEURNII *praxis Medicinæ nova ratio Lugd. Bat. 1587 4:to*, cui etiam impressa sunt insignia & nomen *Jacobi Conradi Prætorii*, & hæc verba præterea fronti adscripta: *Sum ex libris Aptorii A:0 Anni 1591 prid. Calend. Octobr. Vienna Austriae secum per Pannoniam, Serviam, Bulgariam, Macedoniam, Thraciam, usque Constantinopolim portatus, inde demum anno s. 93 VII. Cal. Mart. per Bithyniam, Pontum, Asiam, Phrygiam, Icariam, Lycaoniam, Lydiam, Galatiam, Pisidiam, Lyciam, Pamphiliam, Cappadociam, Ciliciam, Syriam, usque magnum fluvium Euphratem. Porro redeundo per Phœniciam, terram & civit. sanctam, Cyprum insulam, Ægyptum, Arabiam, Lybiam, in Alexandriam, Candiam, Zaxint. Corcyram, Venetias, demum iterum Viennam a. s. 1694, V Id. Aug. ab eodem salvo & incolumi, sic volente DEO, reportatus.* Quis tantus hic tamque singularis fuerit peregrinator, plane me fugit.

(s) Cfr. omnino Nob. CELSIUS l. c. §. XI. p. 40 seqq. §. XII. p. 46. Datum nuper Bibliothecæ nostræ dono volumen (varios continens Historici maxime ar-

nomina MESSENIORUM (*t*), non paucis, & CHRISTIANI RAVII *Berlinatis* (*u*), quibusdam libris præscripta, prius nomina indicant possessores.

Præter felicia hæc incrementa, maxima quæ Bibliothecæ nostræ contigerunt, (quæ post læta satis hæc incipia cum fatis deinde colluctata est minus faventibus), aucta est ad a. 1655, 16 adhuc voluminibus, sive emittis, sive liberalitate ignotorum nobis ejus amicorum acceptis. Totum vero literarium, quem sibi hæcenus comparare Auricæ valuerant Musæ, thesaurum, cognoscendum nobis præbet hoc anno luci commissus publicæ Catalogus, quem toties jam laudavimus, Historiam Bibliothecæ nostræ ad ea usque tempora pulcherrime illustrans, ex Senatus Academici decreto, ut monuimus, typis expressus; in quo primum libri qui Gymnasii fuerant Aboënsis, & Academiae novæ vindicati sunt, recensentur, deinde muneris Stålhandskiani omnia volumina adferuntur, tum quæ liberalitate Regia, partim a. 1648, partim a. 1653 Academiae tradita sunt, distincte exhibentur; quibus adjecta demum cernuntur quæ Bibliothecarii cura accesserant; omnia secundum scientias & formas librorum, ordine alphabetico disposita. Hoc Catalogo

gumenti tractatus minores, 4:0). a Præposito & Pastore Cronobyensi Adm. Rev. & Præcl. D: no M. GUSTAVO JUSLENIO, Principis illius P. URSINI nomen, arma atque titulos solita forma adscriptos gerens, ostendit aut non totam hujus Mæcenatis Bibliothecam in possessionem Reginae CHRISTINÆ cessisse, aut, quod fata varia Bibliothecæ Regiæ Stockholmiensis haud abnuunt, non integram in dominio publici mansisse.

(*t*) Cfr. CELSIUS *ibid.* §. V. p. 20.

(*u*) Cfr. *Id.* l. c. §. XXIX. p. 129.

logo nisi adjuti essemus, (licet suis non careat nævis (v)), parum nobis nota essent Bibliothecæ nostræ primordia, multisque tenebris & dubiis involuta. Titulus habet; *Bibliotheca Academiae Aboënsis, sive Elenchus, quo non modo certus scriptorum & librorum cujusque Facultatis numerus ordine alphabetico continetur; sed etiam ex quo initio, quibus incrementis, quorumve liberalitate & munificencia Bibliotheca hæc Academica, ad tantam, qua nunc est, excreverit molem, paucis indigitatur. Adjectis ubi-vis formæ, loco & tempore impressionis. Aboæ excusus apud Petrum Hansson Acad. Typog. a. 1655 (in folio).*

§. VI.

Nihil præterea effectum aut actum ad Bibliothecam augendam reperimus, quamdiu ei præfuit Dn. KEMPE (a), cui, ad Professionem Historiarum & Philosophiæ Practicæ a. 1658 promotò (b), successor anno sequente datus est D. Mag. ANDREAS PETRÆUS, (filius Episcopi ÆSCH. PETRÆI), qui Acad. Notarii s. Secretarii hætenus munere functus erat (c). Neque eum curam, commissi

(v) V. g. quod interdum libri secundum Auctorum prænomina, alias secundum eorum nomina aut cognomina disposita adferantur.

(a) Qui Regio jussu, munere stipendioque Adjuncti in Fac. Philos. a. 1653 simul auctus erat. Lit. Reg. d. 13 Nov. 1652. Cfr. Prot. Conf. Acad. a. 1653 d. 30 Mart.

(b) De vita primi hujus Bibliothecarii, ut & successorum ejus, Amanuensiumque Bibliothecæ, quorum opera usi sunt, infra accuratius, quantum rescire potuimus, exponemus; quæ ad ipsam Bibliothecæ administrationem propius pertinent, hic tantum allatis.

(c) Prot. Conf. Acad. a. 1659 d. 16 Junii; cfr. Prot. a. 1656 d. 25 Sept.

missi fidei suæ thesauri incrementa promovendi, penitus neglexisse, testantur acta, ex quibus patet, hoc consilio illum, venia Senatus Acad. Stockholmiæ a. 1660 profectum, ut Bibliothecæ ampliora subsidia peteret (*d*); nullo vero successu. Neque ulla fere adsunt vestigia, auctæ, eo præfecto, Gazæ nostræ literariæ (*e*). Suis vero negotiis nimis intentum, muneri minus diligenter sequentibus annis vacasse, querelæ Academicorum docent (*f*); cum quibus non semper illi bene conveniebat (*g*). Effecit tamen, ut literis Cancellarii, Senatu Acad. causam ejus commendante, Bibliothecarii dignitas, in hac uti in aliis Academiis, prout verba habent, Professoribus æquaretur (*b*), simulque Assessor Consistorii Academici ipse a Senatu receptus est; permillum ei

(*d*) Ibid. a. 1660 d. 23 Junii.

(*e*) *Aldrovandi* tamen *Historiam Animalium* in usum Bibliothecæ emtam fuisse a. 1662, prot. ejus anni, d. 19 Febr. indicare videtur.

(*f*) Versabatur Stockholmiæ ab æstate anni 1662 ad autumnum anni sequentis, Bibliothecæ & Patrum juventutisque incommodo, muneri sui cura nulli interim alii commissa; quare decrevit Senatus, ut quarta aut quinta parte stipendii mulctaretur, & D. Prof. KEMPPIO Bibliotheca interim administranda tradebatur; quin postquam annum fere cum dimidio abfuisse, ad Illustr. Cancellarium, ut munere privaretur, se scripturos patres minabantur. Itaque domum se contulit, resque sopita fuit Prot. Conf. Acad. 1662 d. 1 Oct. 12 Nov. 3 Dec. 1663, d. 11 Febr. 3 Aug. 10 Sept. 12 Nov.

(*g*) l. c. cfr. Prot. a. 1663 d. 21 Nov. 16 Dec. 1664 d. 29 Mart.

(*b*) Literæ Cancellarii Illustr. Comit. PETRI BRAHE, Stockh. d. 20 Nov. a. 1663. Cfr. Protoc. Conf. a. 1664 d. 4, 20 & 22 Apr.